290. Dæmones in statu damnationis ita esse obstinatos in malo, ut resurgere non possint, prout oportet, ad salutem, est certa sententia, et solum dubitatur, ex quanam causa proficiscatur hæc obstinatio. pro-
cedatne ex principio fonte oriri. vel ab extrinseco, nim: à Deo denegante con-
cursum gratiæ suo ad retractandum peccatum necessarium, vel ab intrinseco, ipse
à naturali inflexibilitate arbitrij immobiliter adhærentis objecto, quod semel cum
plena deliberatione elegit. Et de hoc in præsenti quæritur, an obsti-
natio in angelis peccantibus ab intrinseco vel tantum extrinseco ortum ducat.
hoc 2dum vult Scotus, illud prius D. Tho: quem sequitur pedissequa nostra

291. Concl: voluntas dæmonum in actibus plene delibe-
ratis est ab intrinseco inflexibilis; adeoque obstinatio in malo dæmonibus
non solum est extrinseca (: quod supponimus :) sed etiam intrinseca. Pr: ratione D: Tho:
voluntas angeli proportionatur judicio intellectus angelici propter naturalem utriusque
potentiæ sympathiam et subordinationem. sed intellectus angeli immobiliter adhæret
objecto, cui semel plenum dedit assensum. ergo etiam voluntas angeli immo-
biliter adhæret objecto, quod semel plena deliberatione elegit. major constat tum
à ratione; nam judicium intellectus est regula electionis voluntatis, quæ non
potest potentia cæca sequitur unicè ductum, et directionem intellectus. tum ab
experientia, quia sentimus, nostram voluntatem non alia ratione esse flexibilem, et
vilancem, nisi quia judicium nostri intellectus est flexibile et mutabile ab
uno in aliud. tum demum ab exemplo appetitus sensitivi, qui proportio-
natur sensui. sicut enim sensus solum versatur circa singularia, ita appetitus
sensitivus ultra singularia se extendere nequit. probatur itaque minor: illi objecto
intellectus immobiliter adhæret, quod unico simplici intuitu sine discursu, et
lumine quasi perspectivo cognoscit: ideo enim nos 1mis principiis immobiliter adhæ-
remus, alijs verò objectis mobiliter; quia illa per simplicem intuitum
et sine discursu, hæc verò cum discursu cognoscimus. atqui Ange-
lus omnia sive naturalia sive supernaturalia quæ cognoscit, cognoscit unico
simplici intuitu sine discursu. ergo immobiliter adhæret objecto, cui semel
plenum dedit assensum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII72/0118
gefördert durch
Baden-Württemberg